



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per
Aphorismos Strictim Explicatum**

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Postulando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

De postulando.

TIT. VITI.

Quod si neque pactionibus, neque transactionibus, neque compromissis res componi potuerit, partes vel per se, vel per patronum, Iudicem accedunt, & desideria sua exponunt: quod dicitur postulare.

Est enim *postulare*, desiderium suum, vel amici sui, in jure apud eum qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. c. *infames*. §. est autem. 3. qu. 7.

Postulare possunt omnes, qui aut Edicto, aut Lege, aut sententiâ Judicis, aut Canone non prohibentur.

Canone prohibentur postulare Clerici regulares; nisi pro utilitate Ecclesiæ, vel sui monasterii, & præcepto Abbatis: c. *ex parte*. 2. *hic*. c. 8. *placuit*. 16. qu. 1. Prælati Ecclesiarum secularium, c. 3. *quia Episcopus*. 5. qu. 3. *ratio in c. 4. per latum. dist. 88. c. 16. denique. 14. qu. 5. c. 29. te quidem. 21. qu. 1. excommunicati. c. intelleximus. 7. de judic. c. decernimus. 8. de sent. excom. in 6.*

Alia quæ hic pertinent, & Iuri Canonico non sunt propria, sed ex Iure Civili desumpta, ut patet ex d. c. *infames*. 2. *per tot. in Aphorismis nostris ad Digesta*, & (quos brevi publici juris facturi) ad Codicem ad hunc titulum latius explicavimus.

De procuratoribus.

TIT. IX.

Postulationi valde affinis est *procuratio*; quapropter hunc titulum de *procuratoribus* titulode postulando subiectimus; in quo idem faciemus, quod in præcedenti: nempe ea quæ hujus Iuris maximè sunt propria, referemus; quoad alia, quæ cum Iure Civili habet communia, ad Aphorismos, ad Digesta & Codicem, lectorum remittentes.